

1.40.8

*Idem AAA. Cynegio pp.*

Ne quis iudicum in provincia sua praefectianum vel palatinum vel militem vel ex his etiam omnibus, qui antea in huiusmodi officiis fuerunt commorati, intercessorem (id est executorem) cuiusquam litigatoris petitione in quolibet seu privato seu publico negotio putet esse tribuendum, nam peccantem circa consulta caelestia cum suo officio non solum detrimentum famae, sed etiam patrimoniorum damna comitentur.

*D. non. Aug. Constantinopoli Honorio np. et Euodio cons.* [a. 386]

1.40.9

*Idem AAA. Polemio pp. Illyrici.*

Nullus provinciae moderator augustissimam urbem sine iussione adire audeat, nam si quem patuerit contra decreti nostri praecepta venisse, is congrua condemnatione plectetur.

*D. X k. Ian. Mediolani post consulatum Timasii et Promoti.* [a. 390]

1.40.10

*Imp. Arcadius et Honorius AA. Limenio comiti sacrarum largitionum.*

Nullum palatinis tibi obsecundantibus cum provincialibus volumus esse commercium: sed iudices scire debebunt hoc sibi praecipue esse commissum, ut ipsi a provincialibus exigant et consueta deposcant, palatinum vero possessor non horreat, qui non sibi, sed iudicibus atque officiis praeceptus est imminere.

*D. VI k. April.* [circa a. 401]

1.40.11

*Imp. Honorius et Theodosius AA. Theodoro pp.*

Moderatores provinciarum curam gerere iubemus, ne quid potentium procuratores perperam inlicitaque committant.

*D. VI k. Dec. Ravennae Basso et Philippo cons.* [a. 408]